MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81092-3

AUTHOR:

ORELLI, JOHANN KASPER von

TITLE:

DE PROVINCIIS CONSULARIBUS ORATIO

PLACE:

TURICI

DATE:

1833

Master Negative #

92-81092-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Orelli, Johann Kasper von, 1787-1849. ed.
Cicero, Marcus Tullius. (Orationes De provinciis consularibus 1833)
... De provinciis consularibus oratio a codd. 1833.

Re

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 2/10/93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

NOVAM ACADEMIAM

TURICI HELVETIORUM

IUVENTUTI LITTERARUM STUDIOSAE

KALENDIS MAIIS M. DCCC. XXXIII.

APERIUNDAM

EX DECRETO

QUINDECIMVIRORUM SCHOLIS REGUNDIS

INDICIT

IO. CASP. ORELLIUS

LITTERARUM ANTIQUARUM PROFESSOR.

INEST M. TULLI CICERONIS DE PROVINCIIS CONSULARIBUS ORATIO E CODD. EMENDATA.

TURICI

TYPIS ORELLII FUESSLINI ET SOCIORUM

M. DCCC. XXXIII.

Quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit et cunctae Helvetiae et ipsis studiis humanitatis disciplinisque omnibus, hodierno die iuventuti litterarum cupidae Academiam nostram aperiundam ex decreto Quindecimvirorum scholis rei publicae Turicensis regundis publice indico.

Scilicet id persuasum erat nobis, numquam fore, ut vera libertas, quam a sapientissimis quibusque civibus iamdudum optatam, nuper etiam ab universo populo efflagitatam, optimis deinde legibus corroboratam tandem adepti sumus, sine perpetuo validoque disciplinarum adiumento effloresceret; neque umquam obliti eramus disciplinas item pro dignitate sua apud nos excoli non posse nisi scholis partim melius constitutis, partim denuo conditis; quo in genere eo usque progrediendum esse perspiciebamus, ut superatis impedimentis vel maximis stabiliretur universitas, quam dicunt, litterarum, ubi, communi ut sunt vinculo

coniunctae, pariter omnes alerentur ac foverentur; curandum praeterea, ut honestis condicionibus undique conducerentur professores et docendi arte et scriptis insignes: sic enim summa commoda in rem publicam nostram esse redundatura gratoque, ut speramus, animo posteritatem recordaturam contentionem nostram, qua et disciplinis ipsis et civili libertati inserviendum ducebamus. Qua quidem in re exsequenda plus, quam credibile videbatur, fortuna nobis opitulata est. Namque egregios doctores sumus nacti complures, quorum excellenti ingenio ac voluntate facile efficietur id, quod inde ab initio nobis proposueramus. Restat, ut ingenui adolescentes, ii praesertim, qui primi hoc fruentur liberalissimae institutionis beneficio, quum observantia et pietate, tum assiduitate diligentiaque magistrorum indefessos labores quam maxime adiuvent, bonisque moribus ornent rem publicam, quae materna indulgentia eos suo sinu gremioque excepit. Sic denique confidimus fore, ut gloria illa eruditionis ac politioris humanitatis, quam per hos trecentos iam annos Turicensis civitas, etsi opibus externis et potentia destituta, ingenii viribus sibi pe-

perit, hoc instituto quasi recreata reviviscat atque uberrimos fructus efferat. Quos certe, si est aliquis rerum terrestrium sensus in morte praeclarorum virorum, ubi adspexerint lumina illa atque ornamenta rei publicae nostrae, Zuinglii, Bullingeri, Gessneri, Scheuchzeri, Hottingeri, Bodmeri, Breitingeri, Steinbrychelii, Hessii, Lavateri, Pestalozzii, Escheri, Usterii, Fuesslini, carissimae patriae ultro congratulabuntur seseque optimis artibus ei haud frustra consuluisse laetabuntur. Horum igitur virorum fortissimorum et doctissimorum memoria nos cunctos et professores et auditores excitet, toto ut pectore omnique cura incumbamus ad laudem disciplinarum, ad veram gloriam, ad augendam patriae salutem, atque ut alacri hodie animo ingrediamur viam, quam una sapientissima lege lata senatus populusque Turicensis in perpetuum nobis munivit.

Faustissima hac occasione oblata cum philologis communicandum statui specimen aliquod novae M. Tullii Ciceronis scriptorum omnium συναγωγῆς coniunctis studiis et viribus a me et Baitero meo curandae, cuius consilium brevi ut explicem, hoc fere est: Singuli libri, novorum, (quae permulta nacti sumus,) subsidiorum ope religiose ab ambobus retractabuntur: ubi diversum alterius utrius erit iudicium, amice dissidebimus. Scriptoris ipsius verbis in hac minore editione critica subiicietur varietas Ernestiana dumtaxat, indicatis semper praecipuis auctoritatibus, quibus freti ab illius critici iudicio discessimus: hanc varietatem lectiones, quae maxime memorabiles nobis videbuntur, excipient; integras autem codicum et editionum veterum collationes atque adnotationes nostras singulari aliquando volumine complectemur. Scribendi rationem tota re diu multumque pensitata eam in plerisque sequi decrevimus, quam praeivit amicus Wunderus; quippe quae proxime accedere videatur ad eam, qua Tullium ipsum usum esse persuasum habemus.

Iam quod attinet ad hanc orationem a criticis adhuc prope neglectam, in eo elaboravimus, ut eam quantum fieri potuit emendaremus ad formam praestantissimorum codicum Bernensium N. 136. *membr. Sec. X.* (A.), *N.* 254. *membr. Sec. XV.* (B.), *ab amico Usterio accuratissime collatorum, consultis etiam duobus longe deterioribus, Erfurtensi* (C.) *et Dresdensi* (D.)

M. TULLI CICERONIS

O R A T I O

DE

PROVINCIIS CONSULARIBUS.

I. 1. Si quis vostrum, patres conscripti, expectat, quas sim provincias decreturus, consideret ipse secum, qui mihi homines ex provinciis potissumum detrahendi sint: non dubitabit, quid me sentire conveniat, quom, quid mihi sentire necesse sit, cogitarit. Ac, si princeps eam sententiam dicerem, laudaretis profecto; si solus, certe ignosceretis: etiamsi paulo minus utilis vobis sententia videretur, veniam tamen aliquam dolori meo tribueretis. Nunc vero, patres conscripti, non parva adficior voluptate, vel quod hoc maxume rei publicae conducit, Suriam Macedoniamque decerni, ut dolor meus nihil a communi utilitate dissentiat: vel quod habeo auctorem P. Servilium, qui ante me sententiam dixit, virum clarissumum et cum in universam rem publicam, tum etiam erga meam salutem fide ac benivolentia singulari. 2. Quodsi ille et paulo ante, et, quotienscumque ei locus dicendi ac potestas fuit, Gabinium et Pisonem, duo rei publicae portenta ac paene funera, cum propter alias caussas, tum maxime propter illud insigne scelus eorum et inportunam in me crudelitatem non solum sententia sua, set

---

LECTIONES MEMORABILES. 3. *retrahendi* Lambini susp. (Cfr. §. 13. et §. 19.)

etiam verborum gravitate esse notandos putavit: quonam me animo in eos esse oportet, quoius illi salutem pro pignore tradiderunt ad explendas suas cupiditates? Set ego in hac sententia dicenda non parebo dolori meo, non iracundiae serviam. Quo animo unus quisque vostrum debet esse in illos, hoc ero; praecipuum illum et proprium sensum doloris mei, quem tamen vos communem semper vobis mecum esse duxistis, a sententia dicenda amovebo, ad ulciscendi tempora reservabo.

II. 3. Quattuor sunt provinciae, patres conscripti, de quibus adhuc intellego sententias esse dictas: Galliae duae, quas hoc tempore uno inperio videmus esse coniunctas, et Suria et Macedonia: quas vobis invitis et oppressis pestiferi illi consules pro eversae rei publicae praemiis occupaverunt. Decernendae nobis sunt lege Sempronia duae. Quid est, quod possimus de Suria Macedoniaque dubitare? Mitto, quod eas ita partas habent ii, qui nunc optinent, ut non ante adtigerint, quam hunc ordinem condemnarint, quam auctoritatem vostram e civitate exterminarint, quam fidem publicam, quam perpetuam populi Romani salutem, quam me ac meos omnes foedissume crudelissumeque vexarint. 4. Omnia domestica atque urbana mitto; quae tanta sunt, ut numquam Hannibal huic urbi tantum mali optarit, quantum illi effecerint. Ad ipsas venio provincias. Quarum Macedonia, quae erat ante munita plurumorum inperatorum non turribus, set tropaeis, quae multis victoriis erat iam diu triumphisque pacata, sic a barbaris, quibus est propter avaritiam pax erepta, vexatur, ut Thessalonicenses positi in gremio inperi nostri relinquere oppidum et arcem munire cogantur, ut via illa

---

VARIETAS ERNESTIANA. 3. *explendas*] Cod. Caroli Stephani. Barberin. *expiandas* ERN. (ABC. *expiendas* D.) 4. *non iracundiae*] ABC. *nec ir.* E. (D.) 18. *domestica*] AB. *domestica illa* E.

LECTT. MEM. 1. *gravitate notandos* Schuetz. de Ern. susp. 12. *occuparunt* D. Lamb. 17. *salutem everterint* Beieri susp. Alii aliter suppleverunt: *prodiderint*, *sustulerint*, *violarint*, *adflixerint*. 18. *Omnia illa domestica* D. Lamb. 24. *cogitarint* Palat. nonus. (*cogitarunt* C.)

nostra, quae per Macedoniam est usque ad Hellespontum militaris, non solum excursionibus barbarorum sit infesta, set etiam castris Threciis distincta ac notata. Ita gentes eae, quae, ut pace uterentur, vim argenti dederant praeclaro nostro inperatori, ut exhaustas domos replere possent, pro empta pace bellum nobis prope iustum intulerunt.

5. Iam vero exercitus noster ille superbissumo dilectu et durissuma conquisitione conlectus omnis interiit. Magno hoc dico cum dolore. III. Miserandum in modum milites populi Romani capti, necati, deserti, dissupati sunt; incuria, fame, morbo, vastitate consumpti: ut, quod est indignissumum, scelus inperatoris in poenam exercitus expetisse videatur. Atque hanc Macedoniam domitis iam gentibus finitumis barbariaque conpressa pacatam ipsam per se et quietam tenui praesidio atque exigua manu etiam sine inperio per legatos nomine ipso populi Romani tuebamur; quae nunc consulari inperio atque exercitu ita vexatast, vix ut se possit diuturna pace recreare; quom interea quis vostrum hoc non audivit, quis ignorat, Achaeos ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis? vectigal ac portorium Dyrrhachinorum totum in huius unius quaestum esse conversum? urbem Byzantiorum vobis atque huic inperio fidelissumam hostilem in modum esse vexatam? quo ille, posteaquam nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla vi a miseris extorquere potuit, cohortis in hiberna misit; his praeposuit, quos putavit fore diligentissumos satellites scelerum, ministros cupiditatum suarum. 6. Omitto iuris dictionem in liberam civitatem contra leges senatusque consulta, caedis relinquo, lubidines praetereo; quarum acerbissumum extat indicium et ad insignem memoriam turpitudinis et paene ad iustum odium

---

VAR. ERN. 2. *Threciis*] C. *Thraciis* E. 6. *noster ille*] ABC. *ille noster* E. (D.) 11. *expetisse videatur*] Gulielmius. *expetitum esse v.* E. (AB. Corruptiores etiam CD.) 23. *in liberam civitatem*] C. *in libera civitate* E. (ABD.) Cfr. §. 7.

LECTT. MEM. 2. *Thraeciis* AB. 4. *vim argenti maximam* Ern. susp. ex lect. D. al.: *vim argenteam*. 15. *vix ut possit - - recreari* C. Pal. nonus. 21. *iis* D.

inperi nostri, quod constat nobilissumas virgines se in puteos abiecisse et morte voluntaria necessariam turpitudinem depulisse. Nec haec idcirco omitto, quod non gravissuma sint, set quia nunc sine teste dico.

IV. Ipsam vero urbem Byzantiorum fuisse refertissumam atque ornatissumam signis quis ignorat? quae illi exhausti sumptibus bellisque maxumis, quom Mithridaticos inpetus totumque Pontum armatum ecfervescentem in Asiam atque erumpentem aegre repulsum et cervicibus interclusum suis sustinerent, tum, inquam, Byzantii et postea signa illa et relicua urbis ornamenta sanctissume custodita tenuerunt; 7. te inperatore infelicissumo et teterrumo, Caesonine Calventi, civitas libera et proxumis suis beneficiis a senatu et a populo Romano liberata sic spoliata atque nudatast, ut, nisi C. Vergilius legatus, vir fortis et innocens, intervenisset, unum signum Byzantii ex maxumo numero nullum haberent. Quod fanum in Achaia, qui locus aut lucus in Graecia tota tam sanctus fuit, in quo ullum simulacrum, ullum ornamentum relicuum sit? Emisti a foedissumo tribuno plebi tum in illo naufragio huius urbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, everteras, tum, inquam, emisti grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos contra senatus consulta et contra legem generi tui dicere liceret. Id emptum ita vendidisti, ut aut ius non diceres aut bonis civis Romanos everteres. 8. Quorum ego nihil nunc, patres conscripti, in hominem ipsum, de provincia disputo. Itaque omnia illa, quae et saepe audistis et tenetis animis, etiamsi non audiatis, praetermitto; nihil de hac eius urbana, quam ille praesens in mentibus vostris oculisque defixit, audacia loquor; nihil de superbia, nihil de contumacia,

VAR. ERN. 1. *odium inperi nostri*] ABC. *imperii nostri odium* E. 12. *C. Vergilius*] *C. Virgilius* E. 19. *senatus consulta*] ABD. *senatus consultum* E. 25. *in mentibus vostris oculisque*] ABC. *in oculis vestris mentibusque* E. (D.).

LECTT. MEM. 2. *nefariam* Aldus. 6. *bellorum maximis* O1x. Manutius. Lamb. 8. *et interclusum cervicibus suis sustinerent* de Ern. susp. Schuetz. 17. *cum - - everteres* D. Lamb.

nihil de crudelitate disputo. Lateant lubidines eius illae tenebricosae, quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia, contegebat: de provincia, quod agitur, id disputo. Huic vos non summittetis? hunc diutius manere patiemini? quoius, ut provinciam tetigit, sic fortuna cum inprobitate certavit, ut nemo posset, utrum † posterior an infelicior esset, iudicare. 9. An vero in Suria diutius est Semiramis illa retinenda? quoius iter in provinciam fuit eiusmodi, ut rex Ariobarzanes consulem vostrum ad caedem faciundam tamquam aliquem Threcem duceret. Deinde adventus in Suriam primus equitatus habuit interitum: post concisae sunt optumae cohortes. Igitur in Suria inperatore illo nihil aliud actumst nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis, decisiones, direptiones, latrocinia, caedes, quom palam populi Romani inperator instructo exercitu dexteram tendens non ad laudem milites hortetur, set omnia sibi et empta et emenda esse clamet.

V. 10. Iam vero publicanos miseros (me etiam miserum illorum ita de me meritorum miseriis ac dolore!) tradidit in servitutem Iudaeis et Suris, nationibus natis servituti. Statuit ab initio et in eo perseveravit, ius publicano non dicere; pactiones sine ulla iniuria factas rescidit; custodias sustulit; vectigales multos ac stipendiarios liberavit; quo in oppido ipse esset aut quo veniret, ibi publicanum aut publicani servum esse vetuit. Quid multa? crudelis haberetur, si in hostis animo fuisset eo, quo fuit in civis Romanos, eius ordinis praesertim, qui est semper dignitate sua, benignitate magistratus sustentatus. 11. Itaque, patres conscripti, videtis, non temeritate redemptionis aut negoti gerundi

VAR. ERN. 8. *Threcem*] AB. *Thracem* E. 14. *hortetur - - clamet*] ABC.(D.) *hortaretur - - clamaret* E. (Cod. Barberin.) 21. *hostis*] ABC. *hostem* E. (D.) 24. *patres conscripti, videtis*] ABCD. *videtis, p. c.* E.

LECTT. MEM. 3. *non successorem mittetis* Liber Ursini. Iuntina. 5. *posterior*] ABCD. E. *pestilentior* O2x. Lamb. *protervior* Lambini susp. prob. Baitero. Cfr. Pison. §. 66. Fort. *pestis tetrior*. Or. 11. *nihil aliud neque actum est* ABC. (*nec* D.) Aut excidit v. aliquod, veluti *gestum*, aut leg. *aeque*. Or.

inscitia, set avaritia, superbia, crudelitate Gabini paene adflictos iam atque eversos publicanos; quibus quidem vos in his angustiis aerari tamen subveniatis necessest; etsi iam multis non potestis, qui propter illum hostem senatus, inimicissumum ordinis equestris bonorumque omnium, non solum bona, set etiam honestatem miseri deperdiderunt: quos non parsimonia, non continentia, non virtus, non labor, non splendor tueri potuit contra illius helluonis et praedonis audaciam. 12. Quid? qui se etiamnunc subsidiis patrimoni aut amicorum liberalitate sustentant, hos perire patiemur? An, si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria: quem is frui non sinit, qui est, etiamsi non appellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet? Retinete igitur in provincia diutius eum, qui de sociis cum hostibus, de civibus cum sociis faciat pactiones: qui hoc etiam se pluris esse quam conlegam putet, quod ille vos tristitia voltuque deceperit, ipse numquam se minus, quam erat, nequam esse simularit. Piso autem alio quodam modo gloriatur se brevi tempore perfecisse, ne Gabinius unus omnium nequissumus existumaretur.

VI. 13. Hos vos de provinciis, si non aliquando deducendi essent, deripiundos non putaretis? et has duplicis pestis sociorum, militum cladis, publicanorum ruinas, provinciarum vastitates, inperi maculas teneretis? At idem vos anno superiore hos eosdem revocabatis, quom in provincias iam pervenissent. Quo tempore si liberum vostrum iudicium fuisset nec totiens dilata res nec ad extremum e manibus erepta, restituissetis, id quod cupiebatis, vostram auctoritatem iis, per quos erat amissa, revocatis et his ipsis praemiis extortis, quae erant pro scelere atque eversione patriae consecuti: 14. qua e poena si tum alio-

VAR. ERN. 17. *ne Gabinius*] D. *ne C. Gabinius* E. (AB.) 24. *erepta*, *restituissetis*] ABCD. *erepta esset*, *rest*. E.

LECTT. MEM. 1. *inscientia* Lamb. 19. *publicas* Palatt. praeter nonum. Barb. Cfr. Pison. §. 41. 22. *in provincias pervenissent* ABC. (*iam* habet D.) 26. *qua poena* AB. (*quae p.* CD.)

rum opibus, non suis, invitissumis vobis evolarunt, at aliam multo maiorem gravioremque subierunt. Quae enim homini, in quo aliqui si non famae pudor, at supplici timor est, gravior poena accidere potuit, quam non credi litteris iis, quae rem publicam bene gestam in bello nuntiarent? Hoc statuit senatus, quom frequens supplicationem Gabinio denegavit: primum homini sceleribus flagitiisque contaminatissumo nihil esse credendum; deinde a proditore atque eo, quem praesentem hostem rei publicae cognosset, bene rem publicam geri non potuisse: postremo ne deos quidem inmortalis velle aperiri sua templa et sibi supplicari hominis inpurissumi et sceleratissumi nomine. Itaque ille alter aut ipse est homo doctus et a suis Graecis subtilius eruditus, quibuscum sic iam in exostra helluatur, antea post siparium solebat, aut amicos habet prudentiores quam Gabinius, quoius nullae litterae perferuntur. VII. 15. Hosce igitur inperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere, ut inperator appelletur: alterum, si tabellarii non cessarint, necessest paucis diebus poeniteat audere. Quoius amici si qui sunt aut si beluae tam inmani tamque tetrae possunt ulli esse amici, hac consolatione utuntur, etiam T. Albucio supplicationem hunc ordinem denegasse. Quod est primum dissimile: res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis a propraetore una cohorte auxiliaria gesta, et bellum cum maxumis Suriae gentibus ac tyrannis consulari exercitu inperioque confectum. Deinde Albucius, quod a senatu petebat, ipse sibi in Sardinia ante decreverat. Constabat enim Graecum hominem ac levem in ipsa provincia quasi triumphasse. Itaque hanc eius temeritatem senatus supplicatione denegata notavit. 16. Sed fruatur sane hoc solatio

VAR. ERN. 4. *iis*] D. *his* E. (AB.) 6. *flagitiisque*] AB. *flagitiis* E. (CD.) 8. *rem publicam geri*] ABC. *rem geri* E. (D.) Cfr. ad Fam. 2, 7, 3. 15. *ut inperator*] i. e. quemadmodum i. a., cum Naug. Cam. *ne imperator* E. (ABD.) (*imperatores* om. *ne* C.) 21. *ac tyrannis*] Lamb. om. *ac* E. (ABCD.)

LECTT. MEM. 15. *imperatorne* Graevius. *facere imperatorem se appellatum* Garatonii susp. 18. *utentur* Ern. susp. *utantur* Beieri susp.

atque hanc insignem ignominiam, quoniam uni praeter se inustast, putet esse leviorem; dummodo, quoius exemplo se consolatur, eius exitum expectet; praesertim quom in Albucio nec Pisonis lubidines nec audacia Gabini fuerit, hac tamen, hac una plaga conciderit, ignominia senatus.

17. Atqui duas Gallias qui decernit consulibus duobus, hos retinet ambo: qui autem alteram Galliam et aut Suriam aut Macedoniam, tamen alterum retinet et in utriusque pari scelere disparem condicionem facit. Faciam, inquit, illas praetorias, ut Pisoni et Gabinio succedatur statim. Si hic sinat. Tum enim intercedere poterit, nunc non potest. Itaque ego idem, qui nunc consulibus iis, qui designati erunt, Suriam Macedoniamque decerno, decernam easdem praetorias, ut et praetores annuas provincias habeant et eos quam primum videamus, quos animo aeco videre non possumus. VIII. Set mihi credite: numquam succedetur illis, nisi quom ea lege referetur, qua intercedi de provinciis non licebit. Itaque hoc tempore amisso annus est integer vobis expectandus: quo interiecto civium calamitas, sociorum aerumna, sceleratissumorum hominum inpunitas propagatur.

18. Quodsi essent illi optumi viri, tamen ego mea sententia C. Caesari succedendum nondum putarem. Qua de re dicam, patres conscripti, quae sentio, atque illam interpellationem mei familiarissumi, qua paulo ante interrupta est oratio mea, non pertimescam. Negat me vir optumus inimiciorem Gabinio debere esse quam Caesari: omnem illam tempestatem, quoi cesserim, Caesare inpulsore atque adiutore esse excitatam. Quoi si primum sic respondeam, me communis utilitatis habere rationem, non doloris mei, possimne probare, quom id me facere dicam, quod exemplo fortissumorum et clarissumorum

VAR. ERN. 4. *hac tamen, hac una*] AB. (CD.) *hac tamen una* E. 10. *Tum enim intercedere*] de Garat. susp. *tum enim tribunus intercedere* E. (Scil. C. omittit vv. *enim tribunus*, vacuo tamen spatio relicto; Barberinus v. *tribunus* collocat post v. *sinat.*) 21. *quae*] ABC. *quod* E. 23. *omnem*] ABCD. *omnem enim* E.

civium facere possim? An Ti. Gracchus (patrem dico, quoius utinam filii ne degenerassent a gravitate patria!) tantam laudem est adeptus, quod tribunus plebi solus ex toto illo conlegio L. Scipioni auxilio fuit, inimicissumus et ipsius et fratris eius Africani, iuravitque in contione se in gratiam non redisse, set alienum sibi videri dignitate inperi, quo duces essent hostium Scipione triumphante ducti, eodem ipsum duci, qui triumphasset? 19. Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Crassus, M. Scaurus; †aliine inimici? omnes Metelli. At ii non modo illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant, set et propter rationem Gallici belli provinciam extra ordinem decernebant. Bellum in Gallia maxumum gestumst: domitae sunt a Caesare maxumae nationes, set nondum legibus, nondum iure certo, nondum satis firma pace devinctae. Bellum adfectum videmus et, vere ut dicam, paene confectum: sed ita, ut, si idem extrema persequitur, qui inchoavit, iam omnia perfecta videamus; si succeditur, periculum sit, ne instauratas maxumi belli reliquias ac renovatas audiamus. Ergo ego senator, inimicus, si ita voltis, homini, amicus esse, sicut semper fui, rei publicae debeo.

20. Quid, si ipsas inimicitias depono rei publicae caussa? quis me tandem iure reprehendet? praesertim quom ego omnium meorum consiliorum atque factorum exempla semper ex summorum hominum factis mihi censuerim petenda. IX. An vero M. ille Lepidus, qui bis consul et pontifex maxumus fuit, non solum memoriae testimonio, set etiam annalium litteris et summi poëtae voce laudatus est, quod cum M. Ful-

VAR. ERN. 1. *An*] ABCD. *An non* E. (Lamb.) 2. *patria*] ABC. *paterna* E. (D.) 8. *At ii*] CD. *At hi* E. (AB.) 20. *reprehendet*] ABC. *reprehendat* E. (D.) 22. *An vero*] ABCD. *An vero non* E. coni.

LECTT. MEM. 8. Vv. *aliine inimici* del. censebat Garat. *M. Scaurus, inimici omnes Metelli* de Ern. susp. Sch. Malim: *M. Scaurus, alii; inimici omnes Metelli*. Bait. 24. *non laudatus* D.

vio conlega, quo die censor est factus, homine inimicissumo, in campo statim rediit in gratiam, ut commune officium censurae communi animo ac voluntate defenderent? 21. Atque, ut vetera, quae sunt innumerabilia, mittam, tuus pater, Philippe, nonne uno tempore cum suis inimicissumis in gratiam rediit? quibus eum omnibus eadem res publica reconciliavit, quae alienarat. 22. Multa praetereo, quod intueor coram haec lumina atque ornamenta rei publicae, P. Servilium et M. Lucullum; utinam etiam L. Lucullus ille †viveret! Quae fuerunt inimicitiae in civitate graviores quam Lucullorum atque Servili? quas in viris fortissumis non solum extinxit res publica dignitasque ipsorum, set etiam ad amicitiam consuetudinemque traduxit. Quid, Q. Metellus Nepos, nonne consul in templo Iovis optumi maxumi, permotus cum auctoritate vostra, tum illius P. Servili incredibili gravitate dicendi, absens mecum summo suo beneficio rediit in gratiam? An ego possum huic esse inimicus, quoius litteris, fama, nuntiis celebrantur aures cotidie meae novis nominibus gentium, nationum, locorum? 23. Ardeo, mihi credite, patres conscripti, (id quod vosmet de me existumatis et facitis ipsi) incredibili quodam amore patriae; qui me amor et subvenire olim inpendentibus periculis maxumis cum dimicatione capitis et rursum, quom omnia tela undique esse intenta in patriam viderem, subire coëgit atque excipere unum pro universis. Hic me meus in rem publicam animus pristinus ac perennis cum C. Caesare reducit, reconciliat, restituit in gratiam.

X. 24. Quod volent denique homines existument; nemini ego possum esse bene merenti de re publica non amicus. Etenim si iis, qui

VAR. ERN. 9. *in civ. graviores*] ABC. *graviores in civ.* E. (D.) Ibid. *Servili*] AB. *Serviliorum* E. (CD.) 10. *res publica dignitasque ipsorum*] Cod. Paris. (*rei publicae dignitasque ipsorum* ABC.) *rei publicae dignitas et ipsorum* E. 25. *bene merenti de re p.*] ABCD. *bene de re publica mer.* E.

LECTT. MEM. 5. *quibuscum omnibus* ABC. probante Baitero. (*quibus eum* D.) 8. *ille desiderat* ABC. *ille desineret* D. *ille hic sederet* Lamb. susp. Fort. *ille assideret* scil. hic in senatu. Or. 17. Malim *vos et de me*. Bait.

haec omnia flamma ac ferro delere voluerunt, non inimicitias solum, set etiam bellum indixi atque intuli, quom partim mihi illorum familiares, partim etiam me defendente capitis iudiciis essent liberati; cur eadem res publica, quae me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non possit? Quod mihi odium cum P. Clodio fuit, nisi quod perniciosum patriae civem fore putabam, qui turpissuma lubidine incensus duas res sanctissumas, religionem et pudicitiam, uno scelere violasset? Num est igitur dubium ex iis rebus, quas is egit agitque cotidie, quin ego in illo oppugnando rei publicae plus quam otio meo, nonnulli in eodem defendendo suo plus otio quam communi prospexerint? 25. Ego me a C. Caesare in re publica dissensisse fateor et sensisse vobiscum: set nunc isdem vobis adsentior, cum quibus antea sentiebam. Vos enim, ad quos litteras L. Piso de suis rebus non audet mittere; qui Gabini litteras insigni quadam nota atque ignominia nova condemnastis; C. Caesari supplicationes decrevistis numero, ut nemini uno ex bello, honore, ut omnino nemini. Cur igitur expectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reducat? Reduxit ordo amplissumus, et ordo is, qui est et publici consili et meorum omnium consiliorum auctor et princeps. Vos sequor, patres conscripti, vobis obtempero, vobis adsentior; qui quamdiu C. Caesaris consilia in re publica non maxume diligebatis, me quoque cum illo minus coniunctum videbatis; posteaquam rebus gestis mentis vostras voluntatesque mutastis, me non solum comitem esse sententiae vostrae, set etiam laudatorem vidistis.

XI. 26. Set quid est, quod in hac caussa maxume homines admirentur et reprehendant meum consilium, quom ego idem antea multa decrerim, quae magis ad hominis dignitatem quam ad rei publicae necessitatem pertinerent? Supplicationem quindecim dierum decrevi sententia mea. Rei publicae satis erat tot dierum, quot C. Mario. Dis

LECTT. MEM. 13. Fortasse: *qui A. Gabini*. Or. 15. *supplicationem* C. Ibid. *ullo ex bello* Edd. vett. Lamb.

inmortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quae ex maxumis bellis. Ergo ille cumulus dierum hominis est dignitati tributus. 27. In quo ego, quo consule referente primum decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompeio Mithridate interfecto confectoque Mithridatico bello, et quoius sententia primum duplicata est supplicatio consularis: (mihi enim estis adsensi, quom eiusdem Pompei litteris recitatis, confectis omnibus maritumis terrestribusque bellis, supplicationem dierum duodecim decrevistis:) sum Cn. Pompei virtutem et animi magnitudinem admiratus, quod, quom ipse ceteris omnibus esset omni honore antelatus, ampliorem honorem alteri tribuebat, quam ipse erat consecutus. Ergo in illa supplicatione, quam ego decrevi, res ipsa tributa est dis inmortalibus et maiorum institutis et utilitati rei publicae: set dignitas verborum, honos et novitas et numerus dierum Caesaris ipsius laudi gloriaeque concessus est. 28. Relatum est ad nos nuper de stipendio exercitus: non decrevi solum, set etiam, ut vos decerneretis, laboravi; multa dissentientibus respondi; scribendo adfui. Tum quoque homini plus tribui quam nescio quoi necessitati. Illum enim arbitrabar etiam sine hoc subsidio pecuniae retinere exercitum praeda ante parta et bellum conficere posse: set decus illud et ornamentum triumphi minuendum nostra parsimonia non putavi. Actum est de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii exempla quaerebant, alii tempus differebant, alii sine ullis verborum ornamentis dabant. In ea quoque re sic sum locutus, ut omnes intellegerent me id, quod rei publicae caussa sentirem, facere uberius propter ipsius Caesaris dignitatem.

XII. 29. At ego idem nunc in provinciis decernendis, qui illas omnis res egi silentio, interpellor: quom in superioribus caussis hominis ornamenta fuerint, in hac me nihil aliud nisi ratio belli, nisi summa utilitas rei publicae moveat. Nam ipse Caesar, quid est, cur in provincia commorari velit, nisi ut ea, quae per eum adfecta sunt, perfecta rei publicae tradat? Amoenitas eum credo locorum, urbium pulchritudo, hominum nationumque illarum humanitas et lepos, victoriae cupiditas, finium inperi nostri propagatio retinet. Quid illis terris asperius, quid incultius oppidis, quid nationibus inmanius, quid porro tot victoriis praestabilius, quid Oceano longius inveniri potest? An reditus in patriam habet aliquam offensionem? utrum aput populum, a quo missus est, an aput senatum, a quo ornatus est? An dies auget eius desiderium? an magis oblivionem ac laurea illa magnis periculis parta amittit longo intervallo viriditatem? Quare, si qui hominem non diligunt, nihil est, quod eum de provincia devocent. Ad gloriam devocant, ad triumphum, ad gratulationem, ad summum honorem senatus, equestris ordinis gratiam, populi caritatem. 30. Set, si ille hac tam eximia fortuna propter utilitatem rei publicae frui non properat, ut omnia illa conficiat: quid ego senator facere debeo, quem, etiamsi ille aliud vellet, rei publicae consulere oporteret?

Ego vero sic intellego, patres conscripti, nos hoc tempore in provinciis decernendis perpetuae pacis habere oportere rationem. Nam quis hoc non sentit, omnia alia esse nobis vacua ab omni periculo atque etiam suspicione belli? 31. Iam diu mare videmus illud inmensum, quoius fervore non solum maritumi cursus, set urbes etiam et viae militares iam tenebantur, virtute Cn. Pompei sic a populo Romano ab Oceano usque ad ultimum Pontum tamquam unum aliquem portum tutum et clausum teneri: nationes eas, quae numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut Asia, quae inperium antea nostrum terminabat, nunc tribus novis provinciis ipsa cingatur. Possum de omni regione, de omni hostium genere dicere. Nulla gens est,

VAR. ERN. 5. *et quoius*] ABCD. *cuius* E. 26. *quom in sup.*] Lamb. *cum sup.* E. (ABCD.)

LECTT. MEM. 7. *deorum duodecim*] AB. Cfr. Livium 22, 10.

VAR. ERN. 2. *tradat*] ABD. *tradantur* E. (*tradatur* C.) 20. *etiam suspicione*] ABCD. *etiam ab omni susp.* E.

quae non aut ita sublata sit, ut vix extet, aut ita domita, ut quiescat, aut ita pacata, ut victoria nostra inperioque laetetur. XIII. 32. Bellum Gallicum, patres conscripti, C. Caesare inperatore gestum est, antea tantummodo repulsum. Semper illas nationes nostri inperatores refutandas potius bello quam lacessendas putaverunt. Ipse ille C. Marius, quoius divina atque eximia virtus magnis populi Romani luctibus funeribusque subvenit, influentis in Italiam Gallorum maxumas copias repressit, non ipse ad eorum urbis sedisque penetravit. Modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius, C. Pomptinus, fortissumus vir, ortum repente bellum Allobrogum atque hac scelerata coniuratione excitatum praeliis fregit eosque domuit, qui lacessierant: et ea victoria contentus re publica metu liberata quievit.

C. Caesaris longe aliam video fuisse rationem. Non enim sibi solum cum iis, quos iam armatos contra populum Romanum videbat, bellandum esse duxit, set totam Galliam in nostram dicionem esse redigendam. 33. Itaque cum acerrumis nationibus et maxumis Germanorum et Helvetiorum praeliis felicissume decertavit: ceteras conterruit, conpulit, domuit, inperio populi Romani parere adsuefecit et, quas regiones quasque gentis nullae nobis antea litterae, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noster inperator nosterque exercitus et populi Romani arma peragrarunt. Semitam tantum Galliae tenebamus antea, patres conscripti: ceterae partes a gentibus aut inimicis huic inperio aut infidis aut incognitis aut certe inmanibus et barbaris et bellicosis tenebantur; quas nationes nemo umquam fuit, quin frangi domarique cuperet; nemo sapienter de re publica nostra cogitavit iam inde a principio huius inperi, quin Galliam maxume timendam huic inperio deputaret; set propter vim ac multitudinem gentium illarum numquam est antea cum omnibus dimicatum. Restitimus semper lacessiti. Nunc denique est perfectum, ut inperi nostri terrarumque illarum idem esset extremum. XIV. 34. Alpibus Italiam munierat ante natura, non sine aliquo divino numine; nam, si ille aditus Gallorum inmanitati multitudinique patuisset, numquam haec urbs summo inperio domicilium ac sedem praebuisset. Quae iam licet considant. Nihil est enim ultra illam altitudinem montium usque ad Oceanum, quod sit Italiae pertimescendum. Set tamen una atque altera aestas vel metu vel spe vel poena vel praemiis vel armis vel legibus potest totam Galliam sempiternis vinculis astringere. Inpolitae vero res et acerbae si erunt relictae, quamquam sunt accisae, tamen ecferent se aliquando et ad renovandum bellum revirescent. 35. Quare sit in eius tutela Gallia, quoius fidei, virtuti, felicitati commendata est. Etenim si Fortunae muneribus amplissumis ornatus saepius eius deae periculum facere nollet; si in patriam, si ad deos penatis, si ad eam dignitatem, quam in civitate sibi propositam videt, si ad iocundissumos liberos, si ad clarissumum generum redire properaret; si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret; si denique timeret casum aliquem, qui illi tantum addere iam non potest, quantum auferre: nos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici velle. Quom vero ille suae gloriae iam pridem, rei publicae nondum satis fecerit, et malit tamen tardius ad suorum laborum fructus pervenire quam non explere susceptum rei publicae munus: nec inperatorem incensum ad rem publicam bene gerendam revocare nec totam Gallici belli rationem prope iam explicatam perturbare atque inpedire debemus.

VAR. ERN. 9. *C. Pomptinus*] AB. (C.) *C. Pomtinius* E. 18. *conterruit, conpulit, domuit*] ABD. *contrivit, domuit*, [*compulit*] E. 24. *quin*] AB. *qui non* E. (CD.)

LECTT. MEM. 1. *subacta* Lamb. 18. *contrivit, contudit, domuit* Lamb.

VAR. ERN. 1. *deputaret*] ABC. *putaret* E. (D.) 14. *fidei, virtuti*] ABC. *virtuti, fidei* E. (D.) 20. *nos*] ACD. *vos* E. (B.)

LECTT. MEM. 9. *aut altera* Manut. Steph. 14. *Qui si* Lamb. (*Quia si* C. *Et si* D.) 15. *eiusdem deae peric.* Barb. prob. Bait. *eiusdem peric.* de Ern. susp. Schuetz. Cfr. pro Balbo §. 9. 19. *insigni laude* ABCD. Edd. vett. *i. laude laurea* Iunta. (*laurea* videtur V. D. coniectura.)

XV. 36. Nam illae sententiae virorum clarissumorum minume probandae sunt: quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Suria, alter citeriorem. Qui ulteriorem, omnia illa, de quibus disserui paulo ante, perturbat, simul ostendit eam se sciscere legem, quam esse legem neget; et, quae pars provinciae sit, quoi non possit intercedi, hanc se avellere; quae defensorem habeat, non tangere; simul et illud facit, ut, quod illi a populo datum sit, id non violet, quod senatus dederit, id senator properet auferre. 37. Alter belli Gallici rationem habet: fungitur officio boni senatoris; legem, quam non putat, eam quoque servat: praefinit enim successori diem. Atqui mihi nihil videtur minus e dignitate disciplinaque maiorum, quam ut, qui consul Kalendis Ian. habere provinciam debet, is ut eam desponsam, non decretam habere videatur. Fuerit toto in consulatu sine provincia, quoi fuerit, antequam designatus est, decreta provincia: sortietur, an non? nam et non sortiri absurdum est et, quod sortitus sis, non habere. Proficiscetur paludatus? quo? quo pervenire ante certam diem non licebit. Ianuario, Februario provinciam non habebit. Kalendis ei denique Martiis nascetur repente provincia. 38. Ac tamen his sententiis Piso in provincia permanebit. Quae quom gravia sunt, tum nihil gravius illo, quod multari inperatorem deminutione provinciae contumeliosumst neque solum summo in viro, set etiam mediocri in homine ne accidat, providendum.

XVI. Ego vos intellego, patres conscripti, multos decrevisse exi-

---

VAR. ERN. 10. *Atqui mihi*] Lamb. Garat. *qui mihi* E. (*quae mihi* ABCD. *atque mihi* Cod. in marg. Repet. Lamb.) 11. *minus e dignitate*] Garat. *minus a dignitate* E. (ABD.) Ibid. *disciplinaque maiorum*] AB. *disciplinaque maiorum dissidere* E. (D.) 14. *est*] ABCD. *esset* E. Ibid. *decreta provincia*] ABC. *provincia decreta* E. (D.) Ibid. *provincia: sortietur*] (Edd. vett. Lamb.) *decreta? Sortietur* E. 18. *Ac tamen*] A. (C.) O4x. Lamb. *attamen* E. (BD.)

LECTT. MEM. 11. *Atqui mihi nihil videtur magis a dignitate disciplinaque maiorum dissidere* Lamb. *Quo mihi* (cet. ut Lamb.) Manut. Sch. Habet *dissidere* D. Omittit vv. *disciplinaque maiorum dissidere quam* C. Ibid. *quam qui* Lamb. 12. *is eam* Iunta.

mios honores C. Caesari et prope singularis. Si, quod ita meritus erat, grati: si etiam, ut quam coniunctissumus huic ordini esset, sapientes ac divini fuistis. Neminem umquam est hic ordo conplexus honoribus et beneficiis suis, qui ullam dignitatem praestabiliorem ea, quam per vos esset adeptus, putarit. Nemo umquam huic potuit esse princeps, qui maluerit esse popularis. Sed homines aut propter dignitatem suam diffisi ipsi sibi aut propter reliquorum obtrectationem ab huius ordinis coniunctione depulsi saepe ex hoc portu se in illos fluctus prope necessario contulerunt. Qui si ex illa iactatione cursuque populari bene gesta re publica referunt aspectum in curiam atque huic amplissumae dignitati esse commendati volunt: non modo non repellendi sunt, verum etiam expetendi. 39. Monemur a fortissumo viro atque optumo post hominum memoriam consule, ut provideamus, ne citerior Gallia nobis invitis aliquoi decernatur post eos consules, qui nunc erunt designati, perpetuoque posthac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari ac turbulenta ratione teneatur. Quam ego plagam etsi non contemno, patres conscripti, praesertim monitus a sapientissumo consule et diligentissumo custode pacis atque oti, tamen vehementius arbitror pertimescendam, si hominum clarissumorum ac potentissumorum aut honorem minuero aut studium erga hunc ordinem repudiaro. Nam ut C. Iulius omnibus a senatu eximiis ac novis rebus ornatus per manus hanc provinciam tradat ei, quoi minime vos velitis; per quem ordinem ipse

---

VAR. ERN. 1. *eximios honores*] AC. *hon. eximios* E. (BD.) 2. *grati: si etiam*] coni. Or. (e lect. A. *grati*[s] *etiam* et BCD. *gratis etiam.*) *grati: sin etiam* E. 5. *huic*] AB. *his* E. (CD.) 11. *esse commendati*] ABD. (C.) *commendati esse* E. 18. *atque oti*] AB. *et otii* E. (CD.) 19. *pertimescendam*] ABD. *pertimescendum* E. (C.)

LECTT. MEM. 6. *indignitatem* Schuetz. coni. 14. Omittunt v. *decernatur* ABC.; ita ut fuerit: *ne citerior Gallia nobis invitis ab aliquo* (vel *aliquando*) *post eos consules, qui nunc erunt designati, perpetuoque posthac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari ac turbulenta ratione teneatur.* Or. 21. *aut novis* ABC.

amplissumam sit gloriam consecutus, ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad suspicandum nullo modo possum. Postremo, quo quisque animo futurus sit, nescio: quid sperem, video. Praestare hoc senator debeo, quantum possum, ne quis vir clarus aut potens huic ordini iure irasci posse videatur. 40. Atque hoc, si inimicissumus essem C. Caesari, sentirem tamen rei publicae caussa.

XVII. Set non alienum esse arbitror, quo minus saepe aut interpeller a nonnullis aut tacitorum existumatione reprehendar, explicare breviter, quae mihi sit ratio et caussa cum Caesare. Ac primum illud tempus familiaritatis et consuetudinis, quae mihi cum illo, quae fratri meo, quae C. Varroni, consobrino nostro, ab omnium nostrum adulescentia fuit, praetermitto. Posteaquam sum penitus in rem publicam ingressus, ita dissensi ab illo, ut in diiunctione sententiae coniuncti tamen amicitia maneremus. 41. Consul ille egit eas res, quarum me participem esse voluit: quibus ego si minus adsentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat. // Me ille, ut quinqueviratum acciperem, rogavit; me in tribus sibi coniunctissumis consularibus esse voluit; mihi legationem, quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. Quae ego omnia non ingrato animo, set obstinatione quadam sententiae repudiavi. Quam sapienter, non disputo; multis enim non probabo; constanter quidem et fortiter certe; qui quom me firmissumis opibus contra scelus inimicorum munire et popularis inpetus populari praesidio propulsare possem, quamvis excipere fortunam, subire vim atque iniuriam malui quam aut a vostris sanctissumis mentibus dissidere aut de meo statu declinare. Set non is solum gratus debet esse, qui accepit beneficium, verum etiam is, quoi potestas accipiundi fuit. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me et convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam. Illum quidem amico animo

---

LECTT. MEM. 4. *ac potens* C., ut volebat Garat. Cf. pag. 23. l. 19. 5. *Atque haec* ABC. 8. *tacita* Ald. Lamb. cfr. pro Balbo §. 2. 15. *participem me* D. Lamb. 16. *vigintiviratum* de Manutii coni. Schuetz. 23. *possem propulsare* D. Edd. ante Lamb.

me habere eodem loco, quo principem civem, suum generum, sentiebam. 42. Traduxit ad plebem inimicum meum sive iratus mihi, quod me secum ne beneficiis quidem videbat posse coniungi, sive exoratus. Ne haec quidem fuit iniuria. Nam postea me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogavit. Ne id quidem accepi: non quo alienum mea dignitate arbitrarer, set quod tantum rei publicae sceleris inpendere a consulibus proxumis non suspicabar.

XVIII. Ergo adhuc magis est mihi verendum, ne mea superbia in illius liberalitate, quam ne illius iniuria in nostra amicitia reprehendatur. 43. Ecce illa tempestas, illa caligo bonorum et subita atque inprovisa formido, tenebrae rei publicae, ruina atque incendium civitatis, terror iniectus Caesari de eius actis, metus caedis bonis omnibus, consulum scelus, cupiditas, egestas, audacia. Si non sum adiutus: non debuit. Si desertus: sibi fortasse providit. Si etiam oppugnatus, ut quidam aut putant aut volunt, violata amicitiast, accepi iniuriam, inimicus esse debui, non nego: set, si idem ille tum me salvom esse voluit, quom vos me ut karissumum filium desiderabatis; et si vos idem pertinere ad caussam illam putabatis voluntatem Caesaris a salute mea non abhorrere; et, si illius voluntatis generum eius habeo testem, qui idem Italiam in municipiis, populum Romanum in contione, vos mei semper cupidissumos in Capitolio ad meam salutem incitavit; si denique Cn. Pompeius idem mihi testis de voluntate Caesaris et sponsor est illi de mea: nonne vobis videor et ultumi temporis recordatione et proxumi memoria medium illud tristissumum tempus debere, si ex rerum natura non possim evellere, ex animo quidem certe excidere?

VAR. ERN. 17. *kariss.*] AB. *cariss.* E. 18. *voluntatem Caesaris*] ABCD. *voluntatem C. Caesaris* E. 25. *possim*] ACD. *possum* E. (B.)

LECTT. MEM. 1. *civium suum generum* C. 3. *ne in beneficiis* ABCD. 4. *ne hoc q.* D. 10. *Ecce illa, illa* O2x. Manutius. 14. *debui* AB. (non CD.) 16. *negabo* C.

44. Ego vero, si mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorem atque inimicitias meas rei publicae concessisse; si hoc magni quoiusdam hominis et persapientis videtur, utar hoc, quod non tam ad laudem adipiscendam quam ad vitandam vituperationem valet, hominem me esse gratum et non modo tantis beneficiis, set etiam mediocri hominum benivolentia commoveri. XIX. A viris fortissumis et de me optume meritis quibusdam peto, ut, si ego illos meorum laborum et incommodorum participes esse nolui, ne illi me suarum inimicitiarum socium velint esse, praesertim quom mihi idem illi concesserint, ut etiam acta illa Caesaris, quae neque oppugnavi antea neque defendi, meo iam iure possim defendere. 45. Nam summi civitatis viri, quorum ego consilio rem publicam conservavi et quorum auctoritate illam coniunctionem Caesaris defugi, Iulias leges et ceteras illo consule rogatas iure latas negant: idem illam proscriptionem capitis mei contra salutem rei publicae, set salvis auspiciis rogatam esse dicebant. Itaque vir summa auctoritate, summa eloquentia dixit graviter casum illum meum funus esse rei publicae, set funus iustum et indictum. Mihi ipsi omnino perhonorificum discessum meum funus dici rei publicae. Reliqua non reprehendo: set mihi ad id, quod sentio, adsumo. Nam, si illud iure rogatum dicere ausi sunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de caelo servarat: oblitine erant, tum, quom ille, qui id egerat, plebeius est lege curiata factus, dici de caelo esse servatum? qui si plebeius omnino esse non potuit, qui tribunus plebi potuit esse? et, quoius tribunatus si ratus est, nihil est, quod irritum ex actis Caesaris possit esse: eius non solum tribunatus, set etiam perniciosissumae res auspiciorum religione conservata iure latae videbun-

---

VAR. ERN. 2. *si hoc magni*] ABD. (*sed hoc magni* C.) *quod magni* E. 14. *negant*] Codd. omnes. *negabant* Ern. coni. 25. *tribunatus*] ABCD. *tribunatus ratus* E. coni.

LECTT. MEM. 17. *Est mihi* Lamb. 26. *pern. leges* Lamb.

tur? 46. Quare aut vobis statuendumst legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere; quom lex feratur, de caelo servari, obnuntiari, intercedi licere; censorium iudicium ac notionem et illud morum severissumum magisterium non esse nefariis legibus de civitate sublatum; si patricius tribunus plebi fuerit, contra leges sacratas: si plebeius, contra auspicia fuisse: aut mihi concedant homines oportet in rebus bonis non exquirere ea iura, quae ipsi in perditis non exquirant, praesertim quom ab illis aliquotiens condicio C. Caesari lata sit, ut easdem res alio modo ferret, qua condicione auspicia requirebant, leges conprobabant; in Clodio auspiciorum ratio sit eadem, leges omnes sint eversae ac perditae civitatis.

XX. 47. Extremum illud est. Ego, si essent inimicitiae mihi cum C. Caesare, tamen hoc tempore rei publicae consulere, inimicitias in aliud tempus reservare deberem. Possem etiam summorum virorum exemplo inimicitias rei publicae caussa deponere: set, quom inimicitiae fuerint numquam, opinio iniuriae beneficio sit extincta: sententia mea, patres conscripti, si dignitas agitur Caesaris, homini tribuam; si honos quidam, senatus concordiae consulam; si auctoritas decretorum vostrorum, constantiam ordinis in eodem ornando inperatore servabo; si perpetua ratio Gallici belli, rei publicae providebo; si aliquod meum privatum officium, me non ingratum esse praestabo. Atque hoc velim

---

VAR. ERN. 8. *ea iura*] ABC. *iura ea* E. (D.) Ib. *exquirant*] ABC. *exquirunt* E. (D.) 17. *agitur Caesaris*] ABCD. *agitur C. Caesaris* E.

LECTT. MEM. 7. *oportet autem in rebus bonis* AB. *oportet aut in rebus b.* D. *oportet aut rebus b.* C., in quo latere aliquid videtur. 10. *aut in Clodio* de Manutii coni. Aldus nepos. *at in Clodio* dubia Garat. susp. Sententia haec est: „qua condicione Caesari lata, auspicia dumtaxat illi requirebant, leges ipsas ab eo latas comprobabant." Verba autem *in Clodio* cet. pendent e superiore illo *praesertim quom.* 13. *Cum ego* ABCD. 16. *et cum* ABCD. Nostram lectionem repperi primum in Iuntina. 22. *ingratum praestabo* Lamb. Rursus de Ern. susp. Schuetz.

probare omnibus, patres conscripti: set levissume feram, si forte aut iis minus probaro, qui meum inimicum repugnante vostra auctoritate texerunt, aut iis, si qui meum cum inimico suo reditum in gratiam vituperabunt, quom ipsi et cum meo et cum suo inimico in gratiam non dubitarint redire.

LECTT. MEM. 3. *iis*, *qui* B. Graevius. (om. *iis*, *si* C.)